

## §. XI.

Licet anima nostra potentiis divinis sit ornata, non tamen DEUS, nec particula DEI, sed creatura est, cujus potentia maxime limitata sunt. Imperium animæ est maxime limitatum, id enim se non extendit ad omnia, sed saltem ad quædam corporis membra, v. g. imperium voluntatis se extendit ad brachia, manus, pedes, aliaque membra, quibus libere agimus. Reliqua membra quæ vitæ sustentationi inserviunt, nostræ voluntati non sunt subjecta: sic v. g. motus cordis, sanguinis, stomachi & intestinorum, non moventur ad nostræ voluntatis beneplacitum. Sic nec pulmonum putredo ab anima nostra percipitur, nec cerebri corruptio, quod Chirurghi observarunt, ab anima sentitur. Dicam, quid sentiam; DEUS illos motus corporis subiecit voluntatis arbitrio, qui ad virtutis vel vitii exercitium spectant; quæ vero ad vitæ sustentationem pertinent, DEUS nostro arbitrio eximere, & suo arbitrio subicere voluit. Hinc motus cordis, circulatio sanguinis &c. non nostro, sed Summi Creatoris beneplacito moventur.

## §. XII.

DEUS benignissimus, qui animæ nostræ divinas potentias dedit, easdem quandoque auferre solet. Prostat exemplum Nebucadnezaris magni, qui cum volente & permittente DEO tot victorias impetrasset, & in fastigium Summorum Imperantium adscendisset, privatus quibusdam animæ potentiis, & in ferarum sortem detrusus in consortio earum vivere coactus est. DEUS certe, quos extulit in fastigium, facillime detrudere potest, quia benefactoris Summi benignitatem non agnoscunt, & nescio, quibus imbecillis mentis deliriis decepti, Creatorem suum benignissimum contemnunt.

## §. XIII.

E dictis etiam intelligimus, animam præsentem esse corpori intelligendo & volendo: Hinc animæ intellectus in momento percipit ictum extremi digiti in pede; Et ejus voluntas movet in momento digitos manus, quod in citharoedis imprimis observamus. DEUS omnibus rebus creatis præsens est intellectu suo & voluntate, intelligit enim omnia & operatur omnia voluntate, vel absoluta vel ordinata. Ani-

B

ma